



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Septiceps Lvthervs, Vbiqve Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxonicam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De caeremoniis ritibusq[ue] Ecclesiae, cap. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

DE CERIMONIIS.

his autem facilè intelliges ( Illustrissime Prin-  
ceps) quid iampridem meritus sit Lutherus, &  
quàm deceat te, tantū ac tam honoratū Rom.  
Imperij membrum Principemque, bestiā hāc  
plus Turcicam, in totius Imperij ac patriæ cla-  
dē ignominiámque & adeò vltimum ( quan-  
tum in ipsa est) exitium , fouere ac protegere:  
Cùm nullus sit, credo, inter omnes Suermeros,  
Sacramentarios & Anabaptistas, qui vel inter-  
fecti sunt, vel adhuc viuunt , quem non supe-  
ret seditionis scriptis sermonibúsque Luthe-  
rus. Si ergo cæteros aut interfici, aut proscri-  
bis , quem ad vsum , aut in quem finem con-  
seruas istum? Senties proculdubio tandem,  
qualem in sinu fouveris serpentem hunc Re-  
gulum, quo nulla est hodie sub sole pestis  
nocentior.

De cærimoniis ritibúsque  
Ecclesiæ.

CAPVT XLIII.

**Q**Vis, obsecro, sine tædio legat hīc tot le-  
ges exlegis huius Apostatę? qui propria  
temeritate & impudentissimè veteres Ceri-  
monias Ecclesiæ abrogauit, & nouas impu-  
dentissimè , nulla præditus autoritate præscri-  
bit. Quoties ait hic, debeat item debet item?  
*In lib. Visi-*  
*ta.* Quem obligant tot leges eius usque adeò nu-  
gaces & fatuæ? Si à nemine approbantur nec

Vllum hominem ligant, quid frustrâ promulgantur? Si velis (Illust. Princeps) has leges eius obseruari, cur eum cæteris in visitatione non adduxisti? An verebaris, ne populitui in facie ei resisterent, aliterq; eum prius docuisse monstrarent & conuincerent? At verecundiam hanc patientur nunc scripta eius, multo sanè latius & amplius, quam passura fuerat frons eius ferrea, & iampridem perfricta. Nam scripta diuulgantur in omnes, facies eius tuis tantum populis visa fuisset. Eo enim timore pallet ac premitur, vt ne ad vnum quidem passum pedemue latum, absque saluo cōductu, terras tuas egredi ausit. Si absque criminе est, vt nullo iure interfici queat, cur tanto-pere timet? Si criminosus & infamis est (vt est) quid bonis viris & populis leges Ecclesiasticas præscribere tentat? Non enim ignorat, Episcopum, Diaconūmque & Presbyterum sine crimine esse debere, vt sine scandalo præesse populo queant. Vanæ sunt igitur ac ridiculæ totius Visitationis Lutericæ leges, non solùm, quòd legifer criminosus & infamis est ac nulla prædictus autoritate, sed etiā, quòd iisdem cōtrarias ante eas leges & fixit & refixit sæpiissimè, arundo sanè leuisima, legifer stramineus, qui melius pone-retur in arua, laruatus cucullo suo, ad exterendas segetibus feras & aues, quām vt præponatur populis aut Ecclesiis, ad feras nouas leges, quas antea reprobauit.

DE CERIMONIIS.

Quid enim habes (Illust. Princeps) quod populis tuis respondeas, sic forte interrogantibus? Vbi scriptum est, ut omni die manè legamus tres Psalmos, & vesperè totidem, eösque vel Latinè vel Teuthonicè? Quæ scriptura iubet nos canere Magnificat? Quæ! Te Deum laudamus, aut Benedictus, aut Quicunque vult saluus esse, in vesperis? Quæ, item præcipit, ut Quarta, & Sexta feria potius prædicetur quam aliis diebus? Qua scripturæ autoritate tenemur tot cebrare festa, in quibus manè Euangeliū, vesperè X. præcepta prædicentur. Nónne docuit nos Moysi legibus, atque etiam X. præceptis non teneri? Et vbi habetur in scripturis tot leges de die dominica, quot non visitans visitator iste præscribit? Cur præcipit nunc, ne prædicetur contra Papam & Episcopos iniuriosè, quod ipsem fecit & sēpiissimè, & iniuriosissimè? Vbi scriptū est, ut Christiani obseruēt hæc festa Nativitatis Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, aut alia? Cur nunc vult, vt in festis celeberrimis Latinè cantetur Introitus, Gloria in excelsis, &c. Cùm iam aliquot annis docuerit Teuthonicè cantandum? Vbi denique scriptum habetur, vt funus comitentur facellanus & ædituus? Qua autoritate sic præcipit, & tam multa? Quis Paparum tot leges nobis dedit in omni vita sua, quot Lutherus intra mensem vnum in uno dat libro de Ceremoniis? Quot sribet postea, qui tam libenter

In serm. de  
Mose.

ac tam multa scribere solet? At docuit nos ante caendum nobis esse à legibus traditionibusque & doctrinis hominum, & verbo Dei nihil addendum, nihil auferendum. Aut igitur ostendat nobis leges istas in scriptura diuina, aut permittat nobis de ipsis dicere omnia quod toties dixit & scripsit ipse de legibus Papæ & Conciliorum, nempe ut habeamus librum arbitrium refutandi, & iudicandi leges & statuta eius, quia suspecta sunt, an ex Satana vel spiritu sancto, prodeant. Imò certissimè ex Satana, secundum propriam ipsius sententiam prodeunt. Ait enim, Quod in scripturis non habetur hoc plane Satanæ additamentum est. Et quod sine testimonio scripturarum est, ex Diabolo est. Et inter XII. facies Antichristi posuit festorum multiplicationem & iniquitatem, quam nouam & sceleratam faciem, faciem dixit, quod homines per ocium Deo servire doceant. Et in Reformatione sua ad nobiles Germaniæ, voluit ut omnia festa abolerentur, exceptis diebus Dominicis. Quid, obsecro, ad ista respondeas (Illust. Princeps?) Qua honestate præcipere poteris populis tuis, ut abiiciant statuta & consuetudines antiquas Ecclesiæ & sanctorum patrum, ac Lutheri leges nouas quæ prioribus eius scriptis repugnant, & in diuinis literis non habentur, recipiat? Quis est Lutherus, ut eius legibus etiam si contrariæ & instabiles non essent, obedient? Quantò satius foret igitur, ut antiqua mai-

*In li. cōtra  
Ambro. Ca-  
tha.*

*In lib. de  
abroganda  
Missa.*

*In visione  
Danielis.*

DE EXCOMMUNICATIONE.

rum nostrorum cōsuetudine, quietē & pacificē obtemperent populi tui statutis & ordinationibus Ecclesiæ (quam Christus audiri p̄cipit) & Rom. Pontificum Decretis, quos omnium Christi pastores tota per M. D. annos agnoscit Ecclesia, quādoquidem & Dominus pastoris vocem vult audiri, & agnosci ab omnibus suis Ioan. x.

De excommunicatione.

CAPVT XLIII.

**Q**Vanti fecerit multo tempore Excommunicationem Lutherus, quis ignorat? totus enim obsurduit ad eam, & surduit in ea, absorptus ab ea: Ita ut in profundum peccatorum delapsus sic eam contempserit, ut publicè rogaret, ne unquam absoluatur. Et quā verbis nunc eam rursus doceat non contemnendā, re ipsa tamē adhuc cōtēnit, semper in excommunicatione iacens absque pœnitentia, ut rectē dixerit de eo Ioannes in Apocalypsi, Qui sordet, sordescat adhuc. Ait nunc bonum fore, si pœna veræ & Christianæ excommunicationis, de qua scriptū est Matt. 18. non prorsus aboleretur. Quis verò magis aboleuit eam quā ipse, qui tam superbè eam cōtemnit, & Philippus eius, qui eam frigidum fulmen vocat? Et ipse ad Nobiles Germaniæ fauentino. scribens voluit eiusmodi tonitrua, ac fulmina.

*In execratio  
ne Bullæ.*

*Apoc. 22.*

*In lib. Visi.*

*In Didymo  
fauentino.*